

92 QK. 1,15

(N 1883945)

II n.
2913

Q. D. B. V.

DE

ANTIOVA
SAXONVM
DIGNITATE,

Ex antiqvis Saxoniae monimentis
pronunciabit et disseret,

MODERANTE

C.S.SCHVRZFLEISCHIO,

h. t. Academiae Vitembergensis

Rectore Magnifico,

GEORGIVS RVDOLPHVS A *Saun*

Eqves Misnicus,

Respondens.

In Auditorio Maiori,

Ad D. XIV. Maii, A. c Io Ioe XCVIII.

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.



DEO.

ET.

REVERENDISSIMO. SERENISSIMOQVE.

PATRIAE. PATRI.

DOMINO. SUO. CLEMENTISSIMO.
MVNIFICENTISSIMOQVE.

HAS. PRIMITIAS. ACADEMICAS.

BONI. SVORVM. STVDIORVM. AVSPICII. CAUSA.

SVMMA. ANIMI. RELIGIONE.

ET. SANCTISSIMA. OBSEQVII. LEGE.

CONSECRAT.

DEVOTISSIMVS. NOMINI. POTESTATIQVE. EIVS.



Georg. Rudolph. a Käynn/
Eqves Misn.



I.



Mnium rerum, quas natura gignit, parva initia sunt, quae sensim multarum accessione partium augentur, et incrementa capiunt, paulatimque iuncta firmitus consistunt. Non secus magni principatus, modicis quidem fundati opibus, firmati postea et vehementer aucti, suis iam et validis mole viribus sustinentur. Illi autem maxime stabiles et diuturni sunt, qui ratione et consilio vires temperant, remque publicam non magis amplam, quam tutam habent, et suas cuique fortunas ac dignitates, salva iuris aequalitate conservant. Quae ut rara est Imperiorum felicitas, sic propria Saxonum, ac fere praecipua fuit, quorum Prin-

A

cipes

cipes non arbitria, sed pacta semper pro legibus habuerunt.

II.

Etenim praeter ceteros Germaniae populos summopere Saxones ab externo imperio et dominatu abhorrerunt, ac peregrini moris odio, maiorum instituta, quae ad libertatem attinebant, constanter servarunt, eaque perinde ac scriptas leges, etiam cum scriptis nondum uterentur legibus, tuenda susceperunt, atque usu confirmarunt. Ingenue Tacitus tradit, *plus ibi (in Germania) bonos mores valere, quam alibi bonas leges.* Non tantum apud Catos et Batavos, quos e Belgio, ubi pro Romanis curabat, propius vidit Tacitus, et aestimavit, sed etiam apud Saxones, quamvis hoc nomine minus cognitos, rebus tamen factisque, postquam occasione data, eorum industria se commovit, neutris inferiores, et alteris fide, quod ex Marcellino liquet, alteris, quod ex Tacito, et scriptoribus aliis colligo, concordiae studio potiores, ceteroquin acres semper, et bellicosos,

cosos, ut vel hac de causa a multis, non sine laudis bellicae invidia, *feri et feroces ac truculenti* appellentur.

* Prima Saxonum mentio est apud *Ptolomaeum Geograph. lib. II. cap. II.* Caesar, Strabo, Mela, Plinius, Tacitus, nihil de his tradunt, quod bellorum fama nondum cogniti, vitam quiete et silentio transigerent, nec Romani Imperii litem invaderent, nec vicinos oppugnarent. Postea rebus gestis clari, atque e finibus suis egressi, Romanis causam belli, et scribendi argumentum praebuerunt. Quod imperante Diocletiano accidit, ubi maritimam Galliae oram infestarunt, *Eutropius l. IX. c. 13.* Haud tranquillores erant sub Iuliani tempora, cum Francos Salios lacefferent, eosque pellere sedibus, et Bataviae possessione, adniterentur. *Zosimus l. III. c. 6.* qui fortissimos vocat, et animi corporisque viribus praestare omnibus vicinis tradit, sed errore ductus, Chamavos, veterum partem Saxonum, a Qvadis situ locorum disiunctis, et Sarmatarum finitimis, pro eo ac fieri oportuit, non distinxit, in quo praevit Iulianus, et idoneus distinguendi auctor fuit. *In epistola ad Senatum populumque Atheniensem scripta.* Suffragatur ingenuus scriptor,

ptor, et Gallicae expeditionis socius, *Ammianus Marcellinus, lib. XVII. c. 9. et paulo post de Quadis eodem libro, cap. 12.* Minus accurate, ut alias, Cluverius Cauchos legi mavult, quam Chamavos, *German. antiqu. l. III. c. 21.* Quem secuti sunt Reinesius, et quod miror, Conringius, viri utique lectione et ingenio maxime limati. Inprimis hic arguendus est Aeg. Bucherius, qui nescio quos Quados Saxones confinxit. *Belg. Rom. l. X. c. 10.* Saxones tunc represi, non diu quieverunt, et eruptione facta, Valentiniano novum denuo periculum conflarunt. *Orosius l. VII. c. 32.* Nec postea ab incepto destiterunt, Romanosque fatigarunt, et bello etiam navali, permulta illis damna, praesertim in litore Gallico, intulerunt. Quod magno consensu affirmant, *Marcellinus l. XXVII. c. 8. et XXVIII. c. 5.* *Hieronymus in Chronico ann. CCCLXXVIII. ex eoque Cassiodorus et Orosius, quamvis in annorum supputatione dissentientes.* Respexit ad hoc bellum *Symmachus, lib. II. Ep. 46.* *Pacatus panegyristes Theodosii, quem laudavit, aequalis, Claudianus in panegyrico II. Stiliconis.* *Apollinaris Sidonius l. IIX. ep. 6.* Vbi pandos eorum myoparones (naves piraticas) describit. *Et libri eiusdem ep. 9. et in panegyrico Aviti v. 370.* Quae causa fuit, cur Romani

mani constituerent praefectum maris Gallici,
qui Saxones aditu litorum, et excensione in con-
tinentem prohiberet. Idcirco in notitia Ve-
teris Imperii legitur COMES LITTORIS SA-
XONICI. Missam facio narrationem Saxo-
nis Sialandici de antiquo Saxoniae regno ad Da-
nos translato, cuius pudet cordatos peritosque
rerum Saxoniarum scriptores. Nec tamen
inficior, Saxones, priusquam Dei munere et be-
neficio, religionem Christianam amplexi sunt,
bellandi cupiditate, et agendi impetu magis
concitatos, reprehensionem Christianorum
vix effugere potuisse. Inter quos *Salvianus*
l. IV. Gildas sapiens in epistola, de excidio et con-
questu Brit. Lupus Ferrariensis in vita VVig-
berti cap. XIII. Eginhartus de vita Karoli M.
Monachus Paderbornensis, Saxo ipse, et pristini
moris memor, duros & feroces, appellavit.

III.

Omnino autem id conveniebat tempera-
tioni reipublicae, et ingenio gentis, quae
cum in vitae negotiis solertiam, tum in
consiliis et conventibus publicis prudenti-
am declarabat, rationesque *mixti* Imperii pri-
mo, et populari suo imperio accommoda-

A 3

bat:

bat: deinde post multas aetates et secula,
conversis Germaniae rebus, et auspicio
Francorum, mutata patriae facie, et imperan-
di forma, *legitimos* Principes accipiebāt.
Ex quo tempore principatus, legibus con-
stitutos, habere coepit, atque omnia eo re-
tulit, ut secundum leges et pacta, quibus co-
aluerunt, et fundati sunt, res gravissimae
iudicarentur, neque procerum, et populi suf-
fragia, praesertim in causa ad salutem pu-
blicam et libertatem pertinente, negligere-
rentur.

* Vel unius Bedae Angli Saxonis auctori-
tas mihi sufficit, quo nemo veteris Saxoniae
peritior fuit. *Non habent, inquit, Regem an-
tiqui Saxones, sed Satrapas plurimos suae gen-
ti praepositos, qui ingruente belli articulo, mit-
tunt aequaliter sortes, et quemcunque fors o-
stenderit, hunc tempore belli ducem omnes se-
quuntur, et huic obtemperunt, peracto autem
bello, rursus aequalis potentiae omnes fiunt Sa-
trapae. L.V. c. II. Ecclesiast. Histor. gentis An-
glorum.* Ex eo lineas duxit praestantissimus
rerum Saxoniarum scriptor VVitichindus, mo-
nachus Corbeiensis, cui cum Beda antiquis-
simo

mo eius gentis historico prorsus convenit, nec minor ei fides debetur. *A tribus Principibus totius gentis Ducatus administrabatur, certis terminis exercitus congregandi potestate contentis, quos suis locis ac vocabulis novimus signatos, in Orientales scilicet populos, Angarios atque Westphalos. Si autem universale bellum ingrueret, forte (forte) eligitur, cui omnes obedire oporteat, ad administrandum imminens bellum. Annalium Sax. lib. I.* Tres Principes nominat, quos Beda Satrapas, Annales Francorum potentes regionis, alii primores et Comites appellant, ad rempublicam administrandam delectos, eosque non humili loco natos, sed illustri genere prognatos, et Optimatum auctoritate praeditos, atque in *Adelingis* Saxonum numeratos, ex quibus suos quisque populus duces sibi designavit, qui pacis tempore praecessent, & nulli ab aliis dependerent, sed populo obnoxii, summam rerum administrarent, unus apud Ostphalos, alter apud Angarios, tertius apud Westphalos, id est, Saxones antiquos, citra et ultra Visurgim ad Rhenum usque porrectos. Nam transalbini Saxones, qui Holfatia potiebantur, haud aliam regendi rationem tenuerunt, et cognatis, atque ab suo solo profectis gentibus imperii, ac moris aviti exempla tradi-

tradiderunt. Albertus Cranzius non ex monumentis, sed fama adductus scribit, *duodecim proceres* citeriorem Saxoniam *alternis vicibus administrasse*, *Saxoniae lib. II. c. 22.* Quem sequitur Io. Iustus Vinckelmannus *in notitia Veteris Saxo-Vestphaliae cap. X. Ante eum Albinus in Aulæo vetere Saxonico.* At Vitechinus sua aetate tres duntaxat commemoravit, Beda non definito numero extulit, et quia plurimos vocat, tribus plures sub id tempus fuisse, indicavit. Sed quando bellum gerebant Saxones, communi trium populorum sententia et voluntate Dux electus est, tantisper administraturus, dum arma ferrent, et hosti se obicerent, bello denique confecto, ad pristinum statum redirent.

IV.

Haec consuetudo semper valuit, et inde ab ultimis reipublicae initiis continenter duravit, ac servata est: inde scriptis mandata, atque in tabulas, rerum gestarum testes, relata, pactis lucem affert, eorumque benignam interpretationem ipso vetustatis praesidio tuetur. Cum enim aliae gentes, sigillatim Alemanni et Boii veteres, impari conditio-

ditione in Francorum civitatem ascriberen-
tur: tum Saxones, praesertim primores ac no-
biles illius populi, cum Francis exaeqvati, et
eodem loco numeroque habiti, nec modo
non ad servitutem, sed ne ad statum qui-
dem Francis inferiorem, nedum ad condi-
tionem illis deteriorem redacti sunt, ac pari
aeqvove iure, et quod hinc sequitur, incolu-
mi semper libertate, coniuncti permanse-
runt.

* Eginhartus fide dignus, et rerum, per illud tem-
pus, pace belloque gestarum insigniter peritus
scribit. *Ea conditione a Rege (Karolo M.) propo-
sita, et ab illis (Saxonibus) suscepta, tractum per
tot annos (XXXIII.) bellum constat esse finitum, ut
abiecto daemonum cultu, et relictis patriis cere-
moniis, Christianae fidei atque religionis sacra-
menta susciperent, et Francis adunati, unus
cum eis populus efficerentur.* De vita Karoli M.
Ex eo Poeta Saxonum antiquissimus, idemque
monachus Paderbornensis, rei gestae veritatem
oratione numeris vineta expressit, *annalium de
gestis Karoli M. l. III.*

*Tum sub iudicibus, quos Rex imponeret ipsis,
Legatisque suis, permitti legibus uti*

B

Saxo-

Saxones patriis, et libertatis honore.

Hoc sunt postremo sociati foedere Francis,

Vt gens et populus fieret concorditer unus,

Ac semper Regi parens aequaliter uni.

Post utrosque Vitichindus V Valbea Saxo, et in veteri Saxoniam apud Visurgim monachus, Ottonis temporum aequalis lib. I. annal. *Ob id qui olim socii et amici (ac diu etiam hostes) erant Francorum, iam fratres, et quasi una gens ex Christiana fide, veluti modo videmus, facta est.* Haud aliter tradit Adamus Bremensis, et ipsa Eginharti verba reddidit, ac factam utriusque populi coniunctionem denuo confirmavit. Tantum in numeris mendum est, quoniam tres et triginta belli Saxonici annos supputare et scribere debuisset. *Hist. Eccles. lib. I. cap. 7.*

V.

Caput causae in eo positum est, quod Saxonia non Francorum provincia, sed socia et confors civitatis effecta, hac conditione Karolo Francorum Regi fidem astrinxit, ut verorum partes civium obiret, et membrorum aequae dignorum locum teneret.

* Praesidium sententiae in pervetustis Francorum Saxonumque scriptoribus extat, quorum
rum

rum vestigia seqvor, et Vitechindum, cum res Saxonicas perſcribit, Saxoniamqve *ex ſerva liberam, ex tributaria multarum gentium dominam* eſſe factam commemorat, opportune de-claro, atqve in eam ſententiam expono, ut non de Francis, qui Saxoniam non fecerunt ſervam, neqve in ſervitute redederunt, ſed de Vngaricis Normanicisqve irruptionibus intelligatur, quibus Franci, rebus familiae converſis, impares erant, ac furorem barbarorum compescere non poterant, usqve dum Francorum Saxonumqve Reges Henricus, et Otto M. iugo eorum depulſo, non minus Saxones, quam ceteros Germanos armis defenderent, ac vaſtitate, et captivitatem, a finibus patriae et populo Saxonum ductu auspicioqve ſuo prohiberent. Ipſe Karolus M. *in diplomate A.DCCCLXXXVIII. edito* fatetur, *Saxones ſemper indomabiles, apud Adamum Bremensem H. E. l. I. c. 10. ex quo deſcripſit Cranzius Saxon. lib. II. c. 15.* Alii dicunt, *fidei ſubditos*, non ſervos, nec ſub iugum miſſos, neqve in provinciam redactos, ſed in libertate ſua relictos, et pacto Caroli cum Saxonum primoribus inito confirmatos. Quorſum reſpexit prudens, et rerum peritus, Hugo Grotius, *de iure B. et P. lib. I. c. 3. n. 7.* Atqve hunc ad locum tot animadverſores et inter-

pretes nihil, quod momentum civile habeat, annotarunt. Quemadmodum vero ius civitatis, sic et ius comitiorum Saxones habuerunt: quo fiebat, ut in terra ditionis Saxonicae conventus, auspicio tamen Regis, et praesente eius legato, instituere et habere possent, propter commune perfectae societatis vinculum, quo Franci Saxonesque sub uno et summo capite iungebantur. Hoc evincere est auctoritate sanctionis Karolinae, confirmantis aequale ius trium Saxoniae populorum, quorum proceres sigillatim hac dignitate olim gaudebant: transalbini enim postea Saxones, nullo principe interiecto, Regibus Francorum parebant. *V. Capitulare de partibus Saxoniae prius, a Luca Holstenio, alterum a Ferdinando Antistite Paderbornensi, omnium nostra memoria Antistitum Germaniae doctissimo evulgatum.*

VI.

Eadem imperii mansuetudine populos civitate sua donatos rexerunt, traditoque a maioribus more, nulla usquam herilis imperii vestigia reliquerunt, et prolato ultra Oceanum imperio, * Saxoniam transmarinam, diu ante Francos Carolingos, novo auspicio condiderunt, eamque aequis ac Saxonis legibus

gibus sapienter perinde ac fortiter tenuerunt, certe ea moderatione usi sunt, quae in advenis vix sperari potuit, et a proximo Anglorum Rege haud servata est, cum libera illa praepotensque natio administrationem legibus consentaneam desideraret.

*Saxones a Britonibus, quorum Rex Vortigernus erat, invitati, Pictos Scotosque Britonum hostes profligarunt, et locum, ubi constituerent, ac regnum defenderent, pacti, magnam postea eius insulae partem ditioni suae subiecerunt, ei que nomen Angliae imposuerunt. Beda, indigena testis, illos ex antiqua Saxonum regione, Hengisto et Horsa ducibus, profectos testatur, nominatque *Saxones Orientales, meridianos et occidentales, Anglos item et Vitas*, sive, ut alii vocant, Iutas, aut Gutos, quia Cimbrica Chersonesus, quae nunc Iutia dicitur, Saxonum imperio tenebatur. *lib. I. c. 25. Lupus in vita Wigberti cap. I. Guil. Malmesburiensis lib. I. c. I. de gest. reg. Angl. Chronicon vetus, quod Edmundus Gibson convertit, p. 12. Chronologia vetus Anglo-Saxonica, quam Ab. Vhelocus Latinam fecit, in qua haec leguntur. De tribus Germaniae provinciis venerunt: de Saxonia antiqua, de Anglis Iutisque. Sed in anno error*
B 3 inest,

ineſt, propterea quod Saxones anno CCCC
XLIX. in Britanniam adventarunt: ſecus atque
dictus Chronologiae auctor numeravit An.
CCCCXLVII. Praeter eos Vitechindus et Cran-
zius, *ille annal. lib. I. Iſte Saxoniae lib. I. cap. 20.*
Nec vero Saxonia pulſi, ſed accerſiti et rogati,
in Britanniam navigarunt, contra quam tra-
dunt Ninius compiler, et Io. Gerbrandus Lei-
denſis. Naves longae, quibus uſi ſunt, *ceulas*
nominarunt, auctore, quem praedixi, Gvilelmo
Malmesburienſi. At nomen *Angliae* non ſta-
tim inſulae additum, ſed ſerius, et ſub Inae tem-
pus primo coeptum videtur, indicio veteris e-
legi, ſtante adhuc Saxonum *heptarchia*, ſcri-
pti, in quo legitur *Anglia*, et plaudere iube-
tur. E diverſo alii huius nominis initium ab
Egberto repetunt, qui Ina Saxonum Occiden-
taliſium Rege poſterior, ante omnes uſurpaſſe
dicitur et introduxiſſe, poſtquam ſeptem re-
gna coniunxit, eaque in unum et praepotens
illius inſulae regnum, monarchae titulo, con-
flavit. *Apud domeſticos et externos ſcripto-
res, Camdenum, Verſtegan, Georg. Liliſium, Chy-
traeum, Micraelium, recentiores fere omnes.*
Vtcunqve ſe res habet: Iutae veteres, prae-
ſertim meridionales, non tantum ſocii Saxonum,
ſed etiam ditionis Saxonicae, et Germaniae ad-
eo ve-

eo veteris et magnae finibus descripti erant.
V. Daniel Langhornius in antiquitatibus Albio-
nensibus. Regum ceteroquin auctoritas com-
munita legibus, et contra licentiam ac libidi-
nem firma, tempore Egberti, qui *heptarchian*
sustulit, magis corroborata, postea temporum
vitio nonnunquam afflicta, Danorumque irru-
ptione turbata, demum a Gvilelmo Conqvae-
store ad fastigium potentiae evecta, ut unus ille
tunc novo auspicio, et suo arbitrato, ac belli
iure imperaret. At ubi virilis sexus Gvilelmi,
in Henrico I. eius filio defecit, inde a tempore
Stephani, Regis Henrici sororis filii, procerum
dignitas se extulit maximopere et aucta est,
Henrico praesertim tertio, et Edovardo I. re-
gnantibus, usque adeo, ut alteri, non stanti de-
cretis Oxoniensibus, palam obsisterent: alteri
quoque hanc conditionem exprimerent, ut
nulla deinceps tributa, nisi regni Ordinum suf-
fragio, exigenterentur. Haud parvum eo mo-
mentum attulit iactura provinciarum, trans
mare sitarum, quae ut in Regum Normannico-
rum patrimonio erant, sic inclinatis eorum
rebus prodesse poterant et commode opitu-
lari. Ab eo igitur tempore, et sigillatim ab
anno MCCXCVIII. decreta Comitiorum prae-
sidia securitatis, et vincula ac nervi libertatis fu-
erunt.

VI. Nec

VII.

Nec solum transmarini, verum etiam maritimi, et mediterranei inprimis Saxones, horumque conditores et parentes eadem comitiorum libertate rempublicam fundarunt, et ab ultimo gentis initio, in huius possessione dignitatis confirmati, non fidem, neque officium erga Principes suos deseruerunt, sed pro salute et auctoritate eorum omnia experiri et facere coeperunt, opes et sanguinem profundere parati, si necessitas postularet.

* Servos quidem et sordidos abiectosque homines luce reipublicae et comitiorum indignos censuerunt, sed *NOBILES* et *INGENVOS*, live ut quondam more patrio loquebantur, *EDELINGOS* et *FRILINGOS* perliberaliter habuerunt, illosque ad comitia vocarunt, quorum alteri quidem primores gentis, alteri ordine ac dignitate inferiores, aequa libertate fruebantur: sed in comitiis illorum praecipue erat auctoritas, et suffragium valebat, imo et in firmandis donationum concessionumque tabulis consensus requirebatur. Ius convocandi penes Regem erat, cuius nomine
Le-

Legati convocabant, et praecerant, ad Regem-
que referebant. Non eadem tunc Frisiorum,
quae Saxonum, dignitas fuit: quicquid contra
sentiat Ioannes Gryphiander, *inerudito, quem
de Weichbildis Saxonibus inscripsit, commentario
cap. XXVI.* Non equidem in servitutum dati
sunt, sed ideo in ordinem civium regni Francici
cooptatos, nemo veterum scripsit. Constant
haec et colliguntur facile ex *Eginbarto, et Ka-
rolini aevi monumentis*, quae fidem faciant, Sa-
xones in societatem reipublicae ascitos, Frisios
in sola parendi conditione relictos. Haec igitur
causa fuit, cur more Francorum regerentur
Saxones, constitutis ad id magistratibus, qui o-
peram darent, ut haud aliter, ac Franci habe-
rentur, et in societatem regni, atque in civita-
tem recepti, paria cum illis facerent, et eadem
conditione Regibus subessent. Magistratus e-
nim, quos accipiebant, aut ordinarii erant, aut
extraordinarii: isti *Comites, Iudices*, et Teuto-
nica loquendi consuetudine, *Graviones*: hi *Le-
gati*, et usu Francorum, *Missi* dicebantur, ab
iisque non magis Saxones, quam Franci, sum-
mo Regis auspicio, regebantur. Qui curabant
publica regni negotia, et praesidebant iudiciis,
ac iudiciorum assessores eligebant, populisque
ius dicebant, et rempublicam administrabant,

C

ac

ac pacis et belli munia capeſſebant, et vicaria
potestate obibant, omnemque adeo iurisdictionem
in Urbibus, et Vicis inſignioribus habebant.

VIII.

Transalbini quidem, et ulteriores, ad Cimbricam usque porrecti Saxones, addictius habitus, et, secus atque ceteri, patrimonio regni Franco - Teutonici a Carolingis servati sunt, sed conditionem virtute ac genere suo dignam sub Imperatoribus Vitikindi posteris receperunt, et fines Imperii auspiciis Germanicis constitutos, summa fide et fortitudine tuendos susceperunt, reiectis hostibus ac repressis, qui rupto *Borealis Saxoniae* limite, gentis opprimere libertatem connebantur.

* Documento est *Cismarina Dania*, quam veteres, et ingenui rerum Germanicarum scriptores vocant, quae antea Saxonibus paruit, denuo armis Saxonum, et auspicio ductuque Ottonis Vitikindei Saxonis est recepta. Exincta enim Francorum familia regnatrice, evenit, ut Saxonum Dux Henricus, praeteritis ex gravi causa Francorum primoribus, regni Germanici

manici fastigio imponeretur, et Regis etiam
Franci iudicio, omnibus aliis, et fratri, quem
regius sanguis commendare potuit, praepone-
retur. Huius filius Otto, a rebus, quas gessit,
magnum cognomine appellatus, Lutiam Haroldo
extorsit, et *postliminio* recepit, eamque in tria
amplissima sacerdotia (*episcopatus*) divisit, et
constituta apud Hammaburgenses metropoli,
Cimbricam in ditione sua habuit, Daniamque
ipsam lege beneficiaria sibi devinxit. *Ada-*
mus Bremensis hist. Eccles. lib. II. c. 2. ex eoque
Albertus Stadensis ad A. DCCCCXLVIII. Neu-
tra cum Francis pari libertate coaluit, neque
Albion, ut vulgo putant, transalbinorum Sa-
xonum dux fuit, qui regnante Carolo, inter Sa-
xonum primores locum tenuit, ac Vitekindi
socius, cum Rege Francorum ad pacis tandem
conditiones descendit, anno Christi DCC
XXCVI. Attiniaci sacris initiatus. Neque enim
tempore Caroli M. neque ab eius excessu, Sa-
xonia transalbina ducem accepit, sed Francis
iam extinctis, Otto M. suo demum auspicio
principem hereditarium *Nordalbingicae* regio-
ni imposuit, et iure perpetuo confirmavit. *Ad*
Bremensis lib. II, c. 4. Confugit eo Albion, et
aliquandiu, viribus bello fractis, delituit, sed du-
cis titulo nihil ibi possidendum accepit. Id

quod ex *Eginharto*, et scriptoribus proximis, certum manifestumque est, ut maxime recentiores aliter scribant, *Ioannes Petersen Chr. Holst. part. I. & nuper admodum Nicolaus Schaten in annalium Paterbornensium libro I. ann. 786.* Quapropter Monachus Divionensis, a *Luca Dacherio* editus, et *Eginhartum*, quem supra nominavi, secutus, tantum intelligendus est de primoribus veterum Saxonum, intra Albim, Visurgim et Rhenum, id est, Angrorum, Vestphalorum et Ostphalorum fines, exclusis, quos memoravi, transalbinis. *tom. I. spicil. ad an. DCC LXXVII.* Novus deinde Saxoniae Borealis limes, versus Daniam, constitutus est, et colonia Slesvicum ducta, ac praesidio *limitis* firmata. *Adamus Bremensis rerum aequae Saxonicarum ac Danicarum peritisimus, lib. I. cap. 47.* *Henricus* (Rex Germaniae primus huius nominis) *victor apud Sliasuvich* (Slesvicum Cimbricae, hodie *Iutiae australis*, oppidum) *quae nunc Heidaba* (aliis *Hedeby*) *dicitur, regni (Germanici) terminos ponens, (limitibus distingvens) ibi et Marchionem statuit, (praefectum tuendis finibus imposuit, qui Comes limitis provinciae, cum dignitate principali erat, nostrisque Comes Marcae, et Marchio dicebatur) et Saxonum coloniam habitare praecepit.*
Hanc

Hanc postea infestarunt Dani, et delere conati sunt, quod ex eodem patet, *lib. II. c. 2.* Ea de causa Otto, comparavit exercitum, et Danorum iniurias ultus est, Regemque latis iure belli conditionibus stare coegit, ut paulo ante dixi. Sliasvich Adami nonnunquam *Slasvrich*, aliter *Sliesvich*, ut *Reginoni*, *Slieftorph*, ac *Slieftorp*, imo et *Elietorp* (mendose opinor) in priscis Francorum monumentis scriptum legitur, caput ducatus huius nominis, & oppidum eius regionis perantiquum, a Slia flumine, quod in mare Balticum influit, appellatum. Nunc est ducatus sui iuris, et extra fines veteris Saxoniae Germaniaeque constitutus, et a Daniae quoque regno per superiora pacta, novissime confirmata, separatus. Quod argumento est, fines Saxoniae transalbinæ magis prolatos, et ultra Eidoram, regni quondam Karolini limitem, in ipsam usque Cimbricam promotos. Atque haec illa est Saxonia *trans Albiam*, quae in Francorum tabulis vocatur, eaque de causa nominatur *regio*, et *terra transalbianorum*. *Diplomata extant apud Exp. Lindenbrogium, Arnold. Huitfeldium, Io. Is. Pontanum, Philippum Caesarem, P. Lambecium, et Ioach. Ioan. Maderum.* Haec ipsa adeo transalbina regio ex eo tempore, quo Hermannus hereditario iure dux

constitutus est, Comites habere desit, et cum reliqua Saxonia Billinganae stirpi attributa est, tantisper dum mares superessent, quibus extinctis, concessu beneficioque Henrici V. pervenit ad Lotharium, Supplenburgium: ab hoc deinde fiduciaria lege, anno M CXXXVI. ducatus Saxoniae assignatus traditusque est Henrico Gvelfo, cognomine superbo: transalbinæ autem Saxoniae partes, Holsatia, Stormaria, et Vagria, ab eodem concessae et attributae sunt Adolpho, Comiti Schovvenburgico, manente nihilominus clientelae vinculo, quo ducatus Saxoniae annectebantur. Post has vicissitudines, Henricus Leo, Superbi filius, a Friderico Aenobarbo, ducatu Saxoniae multatus, et proscriptus est, quae occasio fuit dissolvendi nexus, quo antea Comes Holsatiae astringebatur Saxoniae Duci, ut nullo deinceps interiecto, Imperatori obligaret fidem. *Ad haec, & superiora plene confirmanda legi oportet Adamum Bremensem, Albertum Stadensem, Helmoldum, Arnoldum Lubecensem, Hermannum Lerbeke, Albertum Cranzium, Io. Adolphum Cypraeum, et vetus Chronicon Saxonicum MS.*

IX.

Arctioribus deinde finibus est circumscri-
ptus

ptus Saxoniae ducatus, separato, ut tunc e-
rat, Holfatiae comitatu, et detractis Angriae
et Vestphaliae ducatibus, servato nihilomi-
nus titulo, et ab Ascaniis Saxonibus, horum-
que agnatis Lauenburgicis continuato, at-
que his extinctis, a Saxonibus Vetinensi-
bus, nuper assumpto, et iure per Caesareae
concessionis tabulas acquisito, ut ducatus
superior, qui Saxo-Sorabici nominis ambitu
continetur, cum ducatu inferiori, quae fini-
bus Lauenburgicae ditionis includitur, co-
alesceret denuo, et his adeo incrementis
postliminio auferetur.

A. M. D.
VII. 28.
Julii
Constantiae.

* Ducatus Saxonicus saepe mutavit duces ac
dominos, atque ex inferiori Saxonia migravit
in hunc superiorem, et Saxo-Sorabicum tra-
ctum, qui antea in Vestphalia, et Ostphalia, tum
in transalbina, et speciatim in eius regione, mo-
dicis finibus descripta, constitutus, ac deinde in
hanc terram et regionem promotus, atque e-
ligendi Imperatoris iure et dignitate auctus, ex-
tincta Saxonum Ascaniorum familia, quod A.
MCCCCXXII. contigit, delatus ad Saxones Vetinenses cum tractu, sive ut patrio more loqui-
mur, *Circulo electorali* (terra VVittenberg in
pleris-

plerisque tabulis) et palatinatu veteris Saxoniae, propter quem *Electo*r Saxo Interregis Teutonici et *Vicarii* dignitatem habet, ac suo et proprio iure administrat. Quorsum spectant diplomata *investiturarum et infeudationum*, quae in tabulario nostratis castri asservantur. De palatinatu Alstetensi, in Thuringia sito, exponunt fere omnes: quoniam hic Vetinensibus diu ante concessus collatusque est, cuius initium concessionis factum est anno MCLXXVIII. Quo tempore ducatus Saxoniae nondum fuit apud Vetinenses, ne apud Ascanios quidem, ad quos anno MCLXXX. est delatus. E diverso alii eum in Comitatu finitimo Brenae quaerendum putant, sed nusquam Brenae inter Vrbes, *palatinatus* sede praeditas numeratur, neque in speculo, quod dicitur, Saxonico, inter eas commemoratur. Quinque enim hoc tali honore insignes extiterunt, *Grona*, cis Visurgim Brunsvicensis ditionis, *Verla*, sive *VVerliz*, trans Visurgim, inter Lippiam et Ruram, in Arensbergico Vestphaliae comitatu, cuius palatina dignitas postea Goslariam delata: *Walbusium*, seu *Walhausen*, castellum Germaniae vetus, et *burgi* nomine appellatum, tractuque *Harzico* comprehensum: *Alstetum*, sive *Alstede*, vetus Thuringiae oppidum, et orientali Saxoniae propin-

pinquum, et a Friderico Aenobarbo, *Palatinatus* Saxonici titulo ac dignitate cohonestatum; denique *Merseburgum* oppidum montanum, et perantiquum ad Dimolam fl. fano quondam Irmensulae cultum, in veteri Saxoniam trans Visurgim. *V. H. Meibomius, in eadem Saxoniam multum diligenterq; versatus, Irmens. Saxon. cap. XIII.* Huius ergo instituti est *Palatinatus* duntaxat quartus, in Thuringiae oppido fundatus olim ac firmatus, atque a Ducibus et *Electores* Saxonici Vetinensibus, constanter et perpetuo servatus. Quamvis enim castrum oppidumque *Alstetense*, in alienam ditionem venerint, atque adeo in familiam Saxo-Vinariensem, translata fuerint, non tamen ius illud *Palatinatus* Saxonici maximum ac summum, propter quod tempore interregni, *Electors* Saxo pro Imperatore, ut Rege Germaniae curat, simul abalienatum est, quippe quod, salvis *electoratus* sexti rationibus, non abalienari, neque auferri potest. Ex formula ceteroquin transactionis inter Augustum El. Sax. & Ioannem Fridericum Ducem Sax. seniore, eiusque filios, anno MDLIV. Naumburgi initae constat, *Electorem* cessisse tunc possessione Alstetensis castri, quod antea ad ducatum electoralem pertinebat. *Frid. Hortlederus de causis belli Germanici l. V. c. 22.*

D

Sed

Sed quia dignitas *Palatinatus* perpetuo nexu cum *ducatu electorali*, et *Vicariatu Imperii* coniuncta est, tacite saltem excepta intelligitur, quemadmodum id necessario iuris argumento liquet. Cessionis exemplum attulit *Benedictus Carpzovius IC.* et post eum *Christianus Gastelius de publ. statu Europae cap. XVII.* Inter reliquas Saxoniae familias antiquitate generis, et gloria maiorum inprimis eluxit *Vetinensis*, ac diutissime in possessione et usu *Palatinae* dignitatis fuit, quam sententia *Friderici I. Imp. Henrico Leoni* ademptam, secundis rebus genti suae intulit *Hermannus, Thuringiae princeps et Landgravius*, cuius posterum et successores hunc titulum uno tenore, et perpetua temporum serie retinuerunt, eundemque cum iure successionis in *Thuringiam, Vetinenses Misniae Principes et Marchiones* acquisiverunt, auspicio *Friderici II. Hohenstauffii*, qui duos principatus *Henrico illustri* dicto contulit, *Landgraviam Thuringiae, et Comitiam Palatii Saxoniae*, confecto ad eam rem concessionis instrumento, necdum iniuria temporum deleto. * Primus deinde *Vetinensium Dux et Septemvir Fridericus* bellicosus concessu beneficioque *Sigismundi Imp.* potentiam suae domus, et splendorem ducatus, atque septemviratus *Saxonici*, magno-
pere

† in MS. diplomate
legi, Comaciam.
* A.M. CC
XLII. ult.
Iunii Beneventi.

pere adauxit, nec modo *Palatinatum* Alsterensem in Thuringia conditum, sed etiam reliquas eius accessiones et partes, in nostratis Saxoniae tractu sitas, (*Omitto palatinatum Sommerseburgensem in metropoli Magdeburgica, olim relatum ad veterem Saxoniae palatinatum, ut et Gozensem, quorum neuter tamen, quod observari debet, in speculo commemoratur*) vicinumque, et principali dignitate *Burggraviatum* Magdeburgicum, cum hereditariis principatibus, et amplissimis regionibus coniunxit. Hinc nova insignia, tituli que sumpti, et auctoritas in sacro Imperio, atque in summo Imperii senatu eminens, eaque *Archiprincipis et Archimareschalli* perpetua, ac regiae proxima, atque adeo maxima, et altissimis *territorii* radicibus defixa, ac semper valitura.
V.P. Albinus, G. Fabricius, Cyriacus Spangenbergius, Balthasar Mencijs, Benjamin Leuberus, et diplomata speciatim Sigismundi, et Maximiliani I.

XI.

Exinde perspicuum est, Saxones *Vetineses* antiquissimo Comitum genere ortos, et quod plurimum in hac causa valet, in Saxonia semper fuisse indigenas, quorum maiores Principum gloriam aequarunt, et principali dignitate aestimati, diu propter Salam conse-

derunt, atque hinc in Misniam, singularibus procerum studiis, acciti, et auctoritate Lotharii Saxonis, Marchiones Misniae inaugurati, summas in republica partes, etiam conturbatis Imperii rationibus, gesserunt, pristinumque Saxonum morem, habendis comitiis, servarunt.

* Non piget referre, quod imprimis commemoratu dignum est, Comites Vetinenses haud aliter, atque Tirolenses et Hennebergicos, cum Principibus exaequatos. *apud Ioach. Leuberum in originibus Budissinis, cap. 3.* Ita legamus licet Comitem dici pro *Landgravio*, ac principe, *apud Albertum Stadensem, et Monachum Lauterbergensem.* Accedit, quod hi Comites origine stirpis, et dignitate omnes vicinos, atque ipsos etiam *Nordalbingiae* Comites, anteerant, nullisque Ducibus, nec praesulibus obnoxii essent. Ne dicam, plerosque eorum principali honore functos, priusquam sequerentur *Marchiam Misnensem.* Alia taceo, quorum venit in mentem, quae non vana opinione ac fama veterum celebrantur. Vnum ex multis profero, quod *Lusatiam Marchiae* et principatus titulo, diu ante Misniam tenuerunt, et titulo etiam plerumque insigniori ab aliis

aliis Comitibus sese distinxerunt, id quod ex anti-
quis Vetinensium tabulis non ostentationis,
sed veritatis, veterisque exempli causa admo-
nendum duxi. De Comitibus provincialibus
nostratum Saxonum, nostra memoria usus con-
firmat, Saxones exempla maiorum sequi, et
formam rationemque regendi optimam, legi-
bus constitutam tueri, in eoque *congentiles su-
os Anglos, ut Cranzius lib. I. c. 6. metropolios no-
minat*, imitari, quod apte, et institutis mediter-
raneorum Saxonum congruenter apparet, et
declarari potest ex partitione regionis, in cer-
tos comitatus ac tractus, praefecturas et *circu-
los* facta, quae imagine quadam transmarino-
rum Saxonum *hiras* refert. *V. Antonius We-
cke in descriptione eleganti Urbis et regiae Sax.
electoral. Dresdensis.* Quemadmodum vero
Misniae Ordines Conrado Vetinensi, huius no-
minis magno, et primo Misniae, ac *postliminio*
coniunctae Lusatiae Marchioni, non solum vi-
cinitatis, sed etiam necessitudinis iure, et pro-
pter arctissimam familiae sanguinisque cum
Dedone et Henrico Marchionibus coniunctio-
nem, bene cupiebant, seduloque operam da-
bant, ut Conradum in Misniam deducerent, at-
que auspicio Lotharii Saxonis, quod Ann. M C
XXVII. accidit, in principatus sede, et tranquil-

la possessione collocarent: sic A.M. CCXLVIII. eadem fide, et voluntate, cum Thuringis Optimatibus coniuncti, Henricum illustrem in adipiscendo Thuringiae principatu consiliis viribusque adiuuabant: utriusque promissi fide, iurisque iurandi religione servata, negotium multo gravissimum explicabant, neque ab ea integritate et constantia ullius metu periculi, aut persuasionibus se deduci patiebantur. Quibus rebus confirmati principes, *Landgravi et Marchiones*, amore suorum tuti, nihil unquam ab insidiis et coniurationibus civium timerunt, quod alibi, si nostratam excipio Saxoniam, non perinde est factum. Comititia quidem provincialia inde a Conradi M. & Ottonis F. aetate extra vrbes, principum sede cultas, habita et finita sunt, non suspicionis, metusve causa, sed quia sic pro conditione temporum, et imminentis periculi, publicis patriae rationibus expediebat. Quia et prioribus aliquando seculis, Dresda eo delecta, et comitiis frequentata est, maxime ab Henrico illustri, atque ab Alberto, auspiciatissimo propaginis suae conditore. Aliqui Principum extra hanc Urbem domicilium habuerunt, et comititia alio indixerunt, plerumque Culmizium, in agro Oschatensi situm, quo conveniebant, et sub dio, more veter-

veterum, deliberabant. Interdum Dolizii
praesto erant apud Osterlandos, qui orientalem
Misniae partem, a *Lusicensi* diversam, incolue-
runt. Haud secus adibant Lomacium, Misenam,
Lipsiam, Naumburgum, Dobelam, atque
alias minores vrbes, si graves ad consultandum
causae suppetebant, illae praesertim, quae ad
tranquillitatem patriae, et ad census publicos
pertinebant. *Ant. VVecke Part. IV. tit. 6.* Eo-
dem veniebant Misniae praefules, Misnensis,
Merseburgensis et Naumburgensis, tanquam
praecipui Ordines provinciales, et ditioni Mar-
chionum subiecti, quibus non solum ut patro-
nis, sed etiam ut dominis provinciae Misnensis
tenebantur, et officia praestabant. Quamvis
reperiantur incauti quidam, et rerum Misnensi-
um minus periti, qui illos Antistites olim, nullo
interiecto, ad Imperium relatos putent, et errore
ducti praesidenter scribant, ab his regionibus
et terris, quibus commemorati Antistites praesu-
erunt, ius esse provocandi ad summum Imperii
tribunal Spirae constitutum, ac deinceps, turbato
patriae statu, Vezlariam translatum. Nam in pa-
trimonio nostratum Principum deputantur illae
sedes ac *dioceses*, et partes sunt veteris *Marchiae*
Misnensis, atque adeo huius finibus descriptae,
atque in Marchionum fundo sitae, *territorii* pro-
vinci-

vincialis ambitu continentur. Anno demum
MCCCCXXVI. ad hos insignes, et antiquos Im-
perii principatus, accessit *ducatus electoratusque*
Saxoniae, cum summo *Archimareschallatus*,
et Palatinatus munere atque officio coniu-
ctus, multis gravibusque de causis concessus col-
latusque *Friderico* Vetinensi, magno excelsoque
animo Principi, et egregiis bello editis facinori-
bus, nomen *bellicosi* adepti, ac vetustissimo Sa-
xonum generi necessitudine innexo, et luculen-
tas Saxonici nominis dignitates, etiam ante du-
catum Saxonicum consecuto, maiorumque suc-
cessione, *in palatinatu* Saxoniae, confirmato,
et hereditaria lege *Burggravio* in Saxonia ac
Misnia, ante acquisitum *Burggraviatum* Ma-
gdeburgicum: id quod, praeter vetustissimum
Vetini Burggraviatum, Vetinensibus gentiliti-
um, comprobant *Burggraviatus* Misnae et Do-
nini, iure ac ditione Misnensis principatus
comprehensi. Propter has et alias dignitates,
cum stirpe Saxonica Vetinensi consociatas, et
perpetuo arctissimoque nexu copulatas, non-
modo in Germania, verum etiam in universa,
qua cultos et Christianos Principes habet, Eu-
ropa, Duces Saxoniae, omnes alios Duces iure
praecedunt, et vetustate generis, ac splen-
dore insignium vincunt.



Perquam Generoso Nobilissimoque
GEORG. RVDOLPH. A *Saxni*

Eqviti Misnico,

S. P. D.

PRAESES.

CUM Saxones omni statu libertatem tutati sunt, tum honorem suae gentis in eo maxime agi existimarunt, ut se remque publicam fortiter defenderent, ac manu et consiliis salvam servarent, durissimoque tempore fidem semper atque constantiam pace juxta ac bello, domi forisque comprobarent. Quibus rebus et nomini immortalem gloriam, et stirpi aeternitatem conciliarunt, eamque cum Imperatoribus et Regibus necessitudine ac officiorum societate coniunxerunt, in his praesertim rebus, quae patriae honori essent, et dignitatem publicam complecterentur. Nam haec nulla obliterabit vetustas, nec formam imaginemque tantae, et tam divinae Saxonum laudis, ex animis posterorum delebit. Fortitudo autem, an fides in Martio populo maior fuerit, non facile dictu est, quando existimatione utriusque virtutis praestitisse aliis, nullamque rei bene fortiterque gerendae occasionem praetermisisse, annales perinde veterum, ac testimonia hostium confirmant.

E

ministi,

ministrasti, et generosissimi Patris exemplum secutus,
insignia familiae et tueri diligenter, et singulari
quoque industria augere magis, & exornare conatu
optimo, ac summa virtute constituisti. Id vero ut se-
cundis fiat auspiciis, et patriae utile fructuosumque
sit, nec minus tibi fortunatum eveniat, omnes boni
mecum exoptant, et de tuis in republica honoribus
recte sperare alios volunt, eamque in sententiam
cuncti vota faciunt, ac studium operamque, ubi-
ubi navare possint, non recusant, sed ultro offe-
runt, utque more maiorum tuorum constanter
pergas, et coepta, ac quaecumque imagines tuas de-
corant, sub tutela maximi, et munificentissimi Sta-
toris literarum *Principis MAVRITII GVILELMI*
fauste feliciterque perficias, per tua te gentilitia
ornamenta obtestantur. clō lōc XCVIII.

Kalend. Maiis.

S zeigt / Werthester / durch Ruhm in der Sach-
sen an /

Daß auch sein Lob und Ruhm sich auff's Geblüth
so wohl / als Tugend gründe.

Gewiß / wer so mit Recht in beyden prangen kan /

Der meritirt / daß Er einmahl sein Glück nach allem
Wunsche finde.

Glückwünschend feste dieses seinem
sehr werthgehaltenen Hrn. Tischge-
nossen und Freunde

Carl Heinrich Freyherr von Friesen.
Ein

In Edler Sinn/der sich mit Ernst auf wahre Tu-
gend giebt/
Und weder Müß/nöch irgend eine Arbeit scheuet/
Den nichts als nur was zu dem Zwecke dient er-
freuet;

Der trifft es recht/weil was nur Tugend heist **JHM**
wieder liebt:

Er geht den rechten Pfad zu hohen Ehren/
Das Glück selbst wird **JHM** die Wege lehren.

Seinem werthesten Herrn Tischge-
nossen und Freunde schrieb dieses
glückwünschend

Claus Freyherr von Friesen.

Virtutis antiquae illustrium Virorum

Studiosissimo Juveni,

Generosissimo Domino

GEORG. RUDOLPHO à Mäyn!

Eqv. Misn.

De prisca Saxonum dignitate

publice differenti,

PHIL. LUDOV. HANNEKENIUS, D.

Dignam gloriam ominatur

& vovet.

Non est inanis omnino à majorum nominibus
inclytis gloria; in ea autem sola acquiescere,
& aliorum facinoribus se credere satis ornatum,
quae imitari non conemur, ignavorum est homi-

E 2

num,

num, et majorum nomine indignorum. Tu, generosissime Domine, vestigiis gloriosae innixus imitationis, omni studio investigas, à quibus fundamentis majorum tuorum surrexerint virtutes, quibus adminiculis auctae, quibus conatibus ad supremum apicem excreverint, ut ipse parili modo in virtutum progrediare cursu, quo eas tibi tandem tuaeque industriae debeas, quod perperam alii in solis sistunt nominibus patris avitisque. Felicem hoc aestu juvenili Rempublicam! Hae verae nobilitatis opes, à sanctiori pietatis lumine illustratae, nunquam destituunt consiliis Patriam; non horrent hostium apparatus astutiamque, non sinunt interire bonum civem, opitulantur literis, fovent liberalia studia, prospiciunt indigis, & nil intermittunt, quod ad prosperrimum publicae privataeque rei statum salutariter influat. Maeste illustri hoc animo; ita priscae nobilitatis Saxonicae stemma continuabis, & Heroem relinques posteris optimi exempli, quale Tu à majoribus tuis recepisti. Ut vero & inclytissimi Praesidis tui ope perfruaris, & à Dissertationis historicae defensione, porro cum Deo & benedictione divina nobilissimis Christianae pietatis officiis, methodo ingenuorum Saxonum incumbas, res est serii mei, tibi que dicati, voti.

Scribebam è Museo A. O. R. M DC

XCVIII. propr. Kal. Maj.

Tolli-

Tollite facta Patrum, fixis exultaqve ceris
Atria, laurigerae nomina prisca domus.
KEINIADEN nec stirpe iuvat, nec sanguine niti,
At Proavum stimulat nocte dieqve decus.
Hunc alacrem Matuta videt, Phoebusqve labori
Affixum stupuit, Nox stupuitqve vigil.
Hunc comites Musae, Charitesqve ad docta sequuntur
Pu'pita, mox Helicon plausibus ipse strepet.
O genus Heroum, quot gaudia magna capesses!
Unica mox Proles tot tibi reddet Avos!

boni ominis causa

f.
Io. Henricus Berger, D.

Generosissimo Juveni

DN. GEORGIO RUDOLPHO à KAYN,

decus publice disputando partum

L. M. Q. gratulatur

VV. T. MARTINI.

Quo impensius tibi cupio, eo nunc laetor magis,
tam prospere cecidisse vota, & adeo omnem te
expectationem, quam a primo statim aditu concita-
sti, ad hunc usque diem sustinuisse. Veneror divi-
norem illum nutum, quo moderante, ut omnia eve-
niunt, ita in meam quoque te dare consuetudinem a
Perillustri Parente tuo, Maecenate summo, jussus es;
atque hoc majori tibi jam studio gratulor, quo rectius
in eligendis vitae doctrinaeque rationibus existimas.
Non Te sola nascendi conditio distinguit a vulgo, quan-
quam ea omnino egregia est, & multis maximisque
Majorum monumentis conspicua; sed ad illam sin-
gulari

QX 117 2 273

gulari exemplo virtutem adjungis, & hujus causa an-
niteris sedulo, ornamentaque, non vana, sed quæ di-
gnum Republica animum deceant, quotidie conqui-
ris. Intelligis, quæ est ingenii tui vigor, & sapienter
assequeris, quam sit nihil virtute præstantius, quam-
que errent vehementer illi, qui genere gloriantur
solo, & nil, nisi aliena, laudant, atque cum nihil boni
civis officio carius habes, tum in eo quoque has par-
tes strenuo agis, quod patriæ res alienis præfers, &
has etsi non negligis, tamen cum illis componis per-
petuo, tantoque prudentius statuis, quanto turpius
merito habetur, domi peregrinum ac hospitem esse, &
ubi peregrinari convenit, ibi sedem domiciliumque
collocare. Age jam vindica porro, ut coepisti egregie, in
libertatem veram stabilemque animum tuum, atque
ignavos homines juxta ac otium & illecebras infra te
esse judica, & fortiter contemne, mentemque ad sum-
ma erige, cujus præclaro usu nil proprium magis a
DEO immortali datum homini arbitrare. Ita vero in
stadio hoc laudis decurre feliciter, enitere atque con-
tende, & utere ducibus auctoribusque de jurispruden-
tia pariter & literis immortaliter meritis, delatusque
ad metam & auctus honoribus aliquando maximis,
superavi laboris collige auspiciatissimos fructus. Ego,
ut nullum officii genus tui causa unquam defugio,
sic magnum quoque ex te patriæ gentique tuæ
illustri decus certissimis argumentis ominor, & qui-
bus possum votis pie sancteque precor. Scr.

VVittebergae Prid. Id. Maj.

M DC XCVIII.

•• (O) ••



DEVOTI

BONI.

DOM

REVE

Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue

Cyan

Green

Yellow







Red

Magenta

White

3/Color

Black



ISSIMOQVE.

ATRI.

NTISSIMO.

QVE.

EMICAS.

SPICII. CAUSA.

HIONE.

U. LEGE.

TATIQVE. EIVS.

olph.a Käynn/
s Misn.